

1522 tibus auxiliis, ac viribus copiae augerentur, majorique conatu nova in Italiam expeditio pararetur. Helvetiorum praeterea supplementum in Galliam Cisalpinam mittendum curaverat, quod pro vetere amicitia, ac foedere Pagi praestitere: decem peditum millia sub auspiciis Renati Sabaudiae nothi, magni Galliae Magistri, ac Galeatii Sanseverinatis magni Scutiferi per Lepontias Alpes, quas hodie *Divi Bernardi*, ac *Gotthardi montes* vocant, in Cisalpinos mittuntur: Venetos, ne Caesaris pollicitis illecti mentem flecterent, in officio retinere conabatur. Andreae quoque Grito Legato literas dederat, quibus de suo in Italiam adventu, deque copiarum numero complura significabat. Proinde Senatus majori spe ductus sedulo ad bellum necessaria comparare: nullis sumptibus parcere: Gallos com meatibus, tormentario pulvere, pecunia ad militum stipendia juvare. Caesar iis, quae in Gallia gerebantur, cognitis, minime cunctandum ratus, octo peditum Germanorum millia, ut copias novo subsidio auctas firmiores redderet, conscribit: per Oratorem Santium, ut per Reipublicae fines tuto, ac libere transire liceat, postulat; id amicitiae, ac induciarum jure, quae sibi cum Venetis intercederent, deberi: quod sane eo consilio fiebat, ut qua Veneti mente erga Caesarem essent, dignosceretur; cum ad retinendam, ac firmandam Insubrum possessionem illorum amicitiam plurimum conducere Carolus intelligeret, eosque ad suas partes attrahere, jam inde a belli initiis adnixus fuisset: neque desperabat fore, ut superioribus annis bellorum calamitates experti animos ad pacem flecterent. Senatus ancipiti cogitatione distentus; cum hinc Gallico foedere detineretur; inde Caesarem praepotentem, ac finitimum sibi infensum reddere nollet, consiliorum cunctatione tempus terebat. Ea res, ut rursus Collegium Patrum adiret, Santium permovit: quenam de Germanorum transitu publica voluntas sit, exquiri: admitterene illos, an arcere velint: nihil dissimulanter agendum: infestone, an amico in Caesarem animo sint, aperte promendum; id Imperatoris nomine petere: amicitiamne illius amplecti, suisque rebus favere, an inimicitias exercere, ac bellum malint; non minus Caesarem amicum, quam hostem experturos. Senatus, variis consultationibus re agitata, tandem hunc in modum respon-